



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita B. Francisci Xaverii

Torsellini, Orazio

Coloniae Agrippinae, 1610

XII. Prudentia, & præcepta Goani Collegij Rectori & Gaspari Belgæ tradita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42323

CAPVT XII.

*Prudentia, & precepta Goani Collegij
Rectori & Gaspari Belga tradita.*

AM cæterarum moderatrix virtutum
I prudentia non modò in conciliando-
rum conuertendorumque hominum so-
lertia, quæ passim in tota Francisci emi-
cat vita, verum etiam in propagatione re-
ligionis, & administratione Societatis, e-
mittit. Quippe satis gnarus nihil æquè
obstare Christianæ fidei, ac vitia praua-
que exempla improborum Christianorū,
non prius ad Ethnicos religione imbu-
endos accessit, quàm lapsos veterum
Christianorum restituit mores. Neophy-
tos autem ingenti labore ac patientia
Christo partos ipse primùm maxima af-
siduitate coluit: inde Sociis aliis, idone-
isque hominibus, excolendos tradidit.
Socios porrò ipsos nulla in loca misit vn-
quam, nisi antè ab se lustrata. Quos verò
mittebat, aduersus omnia incommoda
salutaribus ac propriis armabat monitis,
audes imperitosque rerum edocens, quæ
ipse longo vsu diuinoque instinctu didi-
cerat. Et quoniam in iis, quæ dixi, præce-
ptis vel maxime Francisci elucet pruden-

tia, haud salubrior illorum hominum
 magistra, quàm aliorum; operæ precium
 me facturum censui, si magnam expone-
 rem partem eius monitorum: quippe que
 non magis illum admirabilem, quam
 nos prouidos, facere queant. Paulo igitur
 Goani Collegij Rectori constituto hæc
 „ præcepta discedens reliquit: Omnium
 „ primum te oro quæsoque, vt pro tua erga
 „ Deum caritate, obseruantiaque in Paren-
 „ tem nostrum Ignatium, Societatemque
 „ IESV vniuersam, Patres, fratresq; omnes,
 „ siue ex Lusitania venientes, siue tota India
 „ sparsos, benignè modesteque accipias,
 „ tractesque. Equidem de Sociorum o-
 „ mnium virtute eam habeo opinionem,
 „ vt (quantum coniectare potui) nequa-
 „ quam existimem eos egere Rectore: ta-
 „ men vt nec aliis desit obediendi materia,
 „ & rectè atque ordine res administrantur,
 „ placet esse vnum aliquem, cui me absen-
 „ te obtemperent cæteri. Proinde tua sub-
 „ missione, prudentia, sapientiaque fretus,
 „ cunctis Sociis te præficiendum censui, vt
 „ omnes qui extra Goam sunt è Societate
 „ pareant tibi, quoad aliud statuatur. Anto-
 „ nius Gomes præerit Goano Collegio,
 „ vectigalia exiget, atque in res necessarias
 „ suo impendet arbitrio. Harum rerum
 „ summa ei à me potestas permissa: quo-
 „ circa

*Opinio de
 virtute So-
 ciorum.*

circa tuam auctoritatem neutiquam in-
 terpones. Si quid secus visum erit, con-
 silio cum reges potius quam imperio. I-
 terum te oro quæsoque vehementer, vt,
 pro obedientia quam P. Ignatio debes,
 intentius caueas, ne qua fortè res inter te
 & Antonium Gomem serat discordiam;
 neu domesticis alienisue materiam ali-
 quam præbeat sermonum: contraque o-
 mni ope tendas, vt perpetuò concordibus
 rem geratis animis studiisque. Si quando
 Socij Comorinenses, cæteriue qui, in
 Christi vinea elaborant, rem aliquam abs-
 te petierint ad animorum salutem quo-
 quo modo pertinentem, sedulò eis atque
 impensè curabis. Quoties verò ad mise-
 ros illos maximis ærumnis oppressos das
 literas, caue quicquam durius scribas,
 quod offendere queat afflictos. Cæterùm
 strenuè Dei causa laborantibus res nacef-
 sarias impigre benigneque submittes, ma-
 ximè verò Comorinensibus & Malacen-
 sibus, qui grauissimam ferentes crucem,
 portant *pondus diei, & æstus*. Itaque eis nõ
 modò animarum, sed etiam corporum sub-
 sidia ad animos pertinètia enixè simul ac
 tempestiuè subministrabis. Quòd si quis
 eorum colligendi causa Goã receperit se,
 haud secus, quam te illisque dignum
 est, excipies fouebisque. Idque ego tibi

Dei

Cura con-
cordia.

,, Dei & P. Ignatij nomine mando ac præ-
 ,, cipio. Ad hæc oro te, mi frater, vt quoti-
 ,, die in virtutibus procedas, atque omni-
 ,, bus omnium virtutum exemplum sis, vti
 ,, adhuc fuisti; crebròque in Iaponiam li-
 ,, teras des, quæ me sigillatim edoceant de
 ,, tuis domesticorumque rationibus, & sci-
 ,, licet de amore & concordia inter te &
 ,, Antonium Gomem, cæterosque Socios,
 ,, deque numero & facultatibus vel huma-
 ,, nis vel diuinis Patrum deinceps aduecto-
 ,, rum è Lusitania. Id omnino bis in anno
 ,, facies, Aprili mense, atque Septembri.
 ,, Ac de singulis Patribus fratribusque tota
 ,, India sparsis, quæ me scire velle arbitra-
 ,, ris, per domesticum quempiam (vt alie-
 ,, nus labor tuum minuat laborem) per-
 ,, scribenda curabis. Quòd si quid erit ar-
 ,, cani, id tua subscribes manu. Rogo te et-
 ,, iam atque etiam, vti hæc præcepta tibi
 ,, cordi sint, eaque singulis hebdomadis
 ,, perlegas: & simul vt mei memor assidue
 ,, pro me & ipse deprecaris Deum, & tui stu-
 ,, diosos ad deprecandum accendas. Alia
 ,, porrò præcepta P. Gaspari Belgæ, Armu-
 ,, ziam ituro, aliisque Patribus Indiæ cuito-
 ,, ribus data. Præcipuè attende tibi, simul
 ,, de cultu Dei tuaque salute sollicitus. Pro-
 ,, fecto enim duobus hisce præfidiis fultus,
 ,, & aliis pl^o opis afferes, & ipse ad Christia-
 ,,

*Præcepta
 Gaspari
 data.*

næ humilitatis religionisque ministeria
 eris paratior. Itaque Lusitanorum libe-
 ros, & seruitia, cæterosque idiotas Chri-
 stianis præceptis erudies: neque hoc mu-
 nus (quippe quod ad salutem animo-
 rum, hominumque beneuolentiam, plu-
 rimum habet momenti) committes al-
 teri. In valetudinario miseros subinde æ-
 gros reuises, monitosque morbum ferè
 pœnam esse peccati, allicies ad conscien-
 tiam excutiendam, delictaque expianda.
 Inde eorum confessionibus per otium
 auditis, cælesti resectos pane, valetudina-
 ri Præfecto commendari, necessariisque
 subsidiis iuuari oportebit. In custodias
 quoque itare conuenit ad uinctos, eosque
 hortari, ut totius antè actę vitę confes-
 sionem instituant. Ex eo enim hominum
 genere plerosque inuenias, qui conceptas
 animi labe. rite expiauerint nunquam.
 Et omnes quidem Sodalitio Misericor-
 diæ commendabis, ne qua cuiquam fiat
 iniuria; cæterum egentibus res insuper
 corrogabis ad victum necessarias, ut mi-
 serorum subuenias egestati. Misericordiæ
 autem Sodalitati, quantum iu ta erit, pro-
 spicies. Proinde si quando incertorum
 dominorum pecunia restituenda sit, eam
 magnopere cenfeo illi Sodalitati potissi-
 mum attribuas. Etsi enim non desunt e-
 gentes

*Catechif-
mi cura.*

*Opera mi-
sericordiæ.*

*Per exter-
nos eleemo-
syna diui-
denda para-
peribus.*

,, gentes, quorum inopia rectè talibus sub-
 ,, leuetur auxiliis; sæpe tamen mendicantiũ
 ,, aut fraus, infamia inquinare hoc negotiũ
 ,, solet. Quæ pestes quemuis facilius quàm
 ,, Misericordiæ sodales fallant, quorum
 ,, prudentiam satis vsus erudiuit ad præca-
 ,, uendum. Quocirca optimum factum est,
 ,, rem omnem sodalibus permittere, qui e-
 ,, gentibus notis spectatisque eleemosy-
 ,, nam illam pro portione dispertiant. Id
 ,, adeò faciendum multis magnisque de-
 ,, causis. Primũ, quia si per te ipse pecu-
 ,, niam pauperibus diuidas, profectò mul-
 ,, ti abs te petant subsidia, maximè corpo-
 ,, rum: quod scilicet haudquaquam faci-
 ,, ent, si te animorum tantũ difficultati-
 ,, bus subuenire constabit. Deinde, vt suspi-
 ,, ciones rumoresque fugias eorum, qui il-
 ,, las tibi pecunias egentibus diuidendas
 ,, tradiderint. Namque (vt proni sunt ho-
 ,, minum ad deteriora credenda animi) ve-
 ,, rendum est, ne quam auaritiæ suspicio-
 ,, nem præbeat exactio pecuniæ: perinde
 ,, quasi exactum ab eis argentum per speciẽ
 ,, iuuandi pauperes, moliaris in tuũ vsũ
 ,, & commodum auertere. Itaque præ-
 ,, stat id muneris in alios transferre, in
 ,, quos nulla cadat suspicio. Quòd si
 ,, quando tamen res ipsa contrà suadeat;
 ,, sequi licebit maiorem Dei gloriam, ma-
 ,, ius-

iusq̃
 eos,
 eos &
 aliqu
 tatio
 cohib
 ritate
 cautio
 vlla c
 inqua
 impro
 tem fe
 gis fru
 beas t
 uio su
 parit,
 cos;
 acrius
 tur. A
 am se
 dient
 pidun
 eius g
 beris
 tem fa
 fessio
 undi.
 cunq̃
 potiu
 nere p

,, meditationibus excultus, & commodior
 ,, fiat, & melior. Cæterorum quoque Sa-
 ,, cerdotum gratia captanda tuendaque,
 ,, quo impensius ipsi quoque ad salutare
 ,, illas meditationes pelliciantur. Oppido-
 ,, rum verò Præfectis dicto audiens eris: o-
 ,, mniq; obsequio, & (quoad eius fieri po-
 ,, terit) familiaritate eorum tibi deuincies
 ,, animos. Neque vlla de causa, quamuis

Admonen- iusta, in eorum offensionem atq; odium
dorū Prin- incurres. Si quid sceleris illorum admi-
cipū ratio. serit quispiam: primū, opportuno ser-
 ,, mone illato, amicè comiterque ei osten-
 ,, des, magnum te capere dolorem ex infam-
 ,, mia, quæ eius dignitatem nomenq; fœ-
 ,, darit; tum pari comitate ac submissione
 ,, ita expones rumores de illo vulgatos, vt
 ,, peccatum suum per se ipse & agnoscat, &
 ,, corrigat. Id autem tum fieri oportet, cum
 ,, spes lætum prosperumque spondet ad-
 ,, monitionis euentum. Sin minus, omitti
 ,, totum hoc negotium præstat, quàm fru-
 ,, straniti, nec aliud, vt dicitur, laborando
 ,, quàm odium querere. Dominicis ac fe-
 ,, stis diebus post meridiem seruis & ancil-
 ,, lis, itemque libertis ac liberis Lusitanorū,
 ,, tintinnabulo in sacram ædem cōuocatis,
 ,, præter fidei Christianæ capita, ratio quo-
 ,, que orandi tradetur, animæque curandæ.
 ,, Atque huius ratione vsus idiotis homini-
 bus

bus confessione expiatis pœnæ loco im-
 ponetur ad certum tempus, vt paulatim
 assuefactos salubris illa consuetudo dein-
 cept sequatur. exploratum habeo multis
 eam rem saluti fuisse. Eadem ratio in ta-
 bella per scripta proponetur in templo, vt
 potestas describendi sit iis, qui vti velint.
 Aliquid etiam temporis atque operæ pa-
 cificatio inimicorum, dissidentiumq; in-
 ter se reconciliatio, vindicabit. In contro-
 uersis litibusque tollendis illud inculcan-
 dum, plerunque plus impensæ in lites fie-
 ri, quam quanti id sit de quo litigatur. Vi-
 deo hoc officium Iurisconsultis ac tabel-
 lionibus ingratum atque inuisum fore.
 Quocirca isti præcipue captandi sunt, &
 appositis meditationibus ad æquitatem
 conformandi. Nam si rectè considerabi-
 mus, istos controuersiarum ac litium
 (quippe quæ in ipsorum cedunt lucrum)
 architectos ac machinatores esse reperi-
 mus. Si quando incideris in homines
 fraudibus, libidinibus, odiis ad eò impli-
 catos, vt non solum hisce vitiis expediri
 non laborent, verum necessaria respuant
 remedia; omni humana diuinaque ope
 annitendū erit, vt eorum animi, quamuis
 iam depositi, aliqua tandem ratione sa-
 uentur. Proinde illis, nisi planè insaniant,
 amor & reuerentia quam Christo Deo ac

*Litium di-
 rimēdarū
 modus.*

*Sceleratos
 homines
 conuertē-
 di ratio.*

Do-

»» Domino suo debeant, proponenda, mor-
 »» tis impendentis ac gehennæ incutiendus
 »» metus. Si quos neque amor Dei, neque
 »» timor, flectet; eos verò acerbissimis pœ-
 »» nis, quas cœlestis ira ex improbis etiam
 »» in hac vita expetit, territari oportebit. I-
 »» taque denunciandi graues diuturnique
 »» morbi, dāna & iacturæ rei familiaris, or-
 »» bitas ac solitudo liberum, coniugum pro-
 »» bra, pericula tum maritima, tum terre-
 »» stria, casus inopinati & atroces, atque alia
 »» generis eiusdem, quibus inueterata ma-
 »» ximè scelera ac flagitia solitus est Deus
 »» vindicare. Quippe multos videmus esse,
 »» quos multo magis talium incommodo-
 »» rum timor moueat, quàm cruciatuum æ-
 »» ternorum. Verumenimvero tam effulcæ
Causa ob- vecordiæ atque infantiæ causa, vel diuini
stinationis nominis obliuio, vel ingens negligentia
in scelerib⁹ conscientia, vel cœlestis fidei tenuitas est,
ac flagitiis
 »» hominibus vtique nequam & sceleratis
 »» qui velut pecudes rebus iis quas oculis
 »» cernunt, quasq; ante pedes habent, cun-
 »» cta metiuntur, immemores bonorum cœ-
 »» lestium, vltimique discriminis, in quo i-
 »» psorum æterna vertitur sors, vtrum scili-
 »» cet beati an miseri futuri sint in omnem
 »» æternitatem, Nonnullos etiam interdum
 »» reperies in peccatorum hærentes cæno,
 »» qui tuam amicitiam familiaritatemque
 captent,

captent, non ut vitis extrahantur suis, sed simul ut meritam obiurgationem vident, simul ut tua consuetudine ad opinionem commendentur probitatis. Idcirco moneo, ut apud te sis: ac si quando te isti homines ad cenam aut prandium inuitent, donisue colant; videas ne tua libertas deliniatur muneribus, quominus acriter peccantes admoneat. Itaque ad prandium inuitatus non recusabis

tu quidem, sed inuicem illos ad sacram inuitabis confessionem. Quod si animaduertes, te nihil omnino proficere, & profus ludere operam; seuerè denunciabis, nisi resipiscant, illis iam te amicitiam & consuetudinem renunciare. Neque verò ego cum quicquam à quoquam accipi veto, parua ac rara munuscula intelligo, qualia sunt poma, & alia eiusdem modi, quæ remissa grauitè offendunt eos, qui miserunt; sed dona magna ac pretiosa, quæ si accipias, capiaris. Si quando magna vis missa fuerit cibariorum, ea valetudinario, carceri, cæterisque egentibus diuidentur: ut omnes intelligant, istarum etiam rerum maximam partem dispertiri pauperibus, tibi vix minimam quandam particulam referuari. Hæc benignitas plus ad exemplum abstinentiæ valebit, quam talium recusatio munerum, cum præsertim

qui

*Concionatoribus dona respuen-
da.*

*Inuitatio
ad prandium quatenus accipi-
enda.*

*Cuiusmodi munera
accipi conueniat.*

,, qui ea mittunt, sibi ducant dedecori do-
Corrigen- mum remitti, quæ miserint. Iam prauos
di modus. cuiuspiam mores emendaturus, non pri-
 ,, us manum admouebis, quam intimos e-
 ,, ius perspexeris sensus. Itaque magnopere
 ,, tibi suadeo, vt primùm odorieris, atque
 ,, inuestiges, an is vitio aliquo aut mentis
 ,, perturbatione occupatus ab animi sui sa-
 ,, lute abhorreat. Si æquo erit animo, & ad
 ,, accipiendam admonitionem parato; tum
 ,, verò eum sedulò, quæ videbuntur, mone-
 ,, bis. Sin autem ira aut quavis molestia
 ,, perturbatum senseris; supersedendum e-
 ,, rit monitoris officio, & affectus animus
 ,, insinuatione quadam ac dulcedine ora-
 ,, tionis deliniendus. Inde ad salutis suæ co-
 ,, gitationem curamq; traduci eum oport-
 ,, tebit, leuioribus initiò tentando monitis;
 ,, quæ si bellè processerint, grauioribus in-
 ,, de oppugnando. Ad vltimum, vbi eum
 ,, in tuam redegeris ditionem, obnoxio ad
 ,, arbitrium tuum leges impones, & quæ-
 ,, cunque opus erunt, planè aperteq; præ-
Ira sedan- scribes. Ac leuandæ modestiæ, iræue se-
da, molesti dandæ, vnicum remedium est, angoris i-
ae leuan racundiæue causam prudenter extenuare
da remedi eleuareque verbis. Si iratus sit, iniuriam
1177. imprudentiæ potiùs quàm malevolentiae
 ,, attribuere; aut delictorum eius poenas
 ,, diuinitus expetitas dicere: ipsum fortasse

in parentes, propinquos, amicos, aut in alios innocentes commisisse aliquando aliquid, pro quo nunc pœnas cœlesti numini iustas ac debitas soluat. Hæc aliaque eiusmodi, quæ ad extinguendam valentiam, inculcanda sunt. Quod de ira præcepi, ad cæteros impotentes animi motus transferendum. Illud autem urgebitur, ut si aliqua veri species, obiecta animum eius commouerit; tamen si colligat se, cogitationemque ad ipsam referens veritatem, res omnes consideret atque circumspiciat intentius; profectò intellecturum, causam, quam obrem tantopere moueatur, nullam esse. Ita demum hilari lætoque vultu illam animi absterges molestiam: ac pro hominis conditione, & propensione voluntatis, quid facto opus sit, amice mixteque commonebis. Iam omni ope efficere nitêris, ut quos erudis ad pietatē, ut quos suas tibi tentationes, incurstantesque animi cogitationes, aperiant. Hoc quippe ad virtutis absolutionem præcipuum præsidium est rudibus in hoc genere pupillæ, aut non satis peritis exercitatisque. Benignitas magistro necessaria.

» tem magistri. Ita necessario nudati præ-
 » sidio, telisque acerrimi hostis expositi, vfi-
 » que eò incessentur prementurque, donec
 » malis domiti faciant deditioem. Si quos
Vitia cor- aut superbia, aut libidine, aut alio quopi-
rigendi ra. am vitio tentari senseris; optimum erit,
no. spatio ad cogitandum dato, iubere ipsos
 » remedia aduersus illa ipsa vitia excogita-
 » re. Quod vt succedat ex sententia, viam
 » primùm aperies ad eiusmodi res inueni-
 » endas: deinde præcipies vt rationes ex-
 » quirant, quibus ipsi in cohortationibus
 » ægros, vinctos, aut alios à talibus deter-
 » reat vitiis. Ita medentes aliis ipsi mede-
 » buntur sibi. Quippe & illa aliis commu-
 » nicata proderunt, & ipsi sua sponte ad ea,
 » quæ alii suadent, incitabuntur. Eadem
 » regula etiam cæteris vsui esse potest, quos
 » propter impedimentum aliquod non li-
 » cet absolui. Scitū enim est ex iis percoṭa-
 » ri, si quem ab illiusmodi, quo vrgentur
 » ipsi, vitio reuocare conarentur, quam tan-
 » dem essent inituri rationem: ad vltimum
 » suadere, vt id sibi consilij capiant, quod
 » in tali re ac tempore alteri forent daturi.
Modus ad- Illud etiam videndum, vt in exercendis
hibendy in alumnis nostræ disciplinæ, virtutumque
exercenda muneribus iniungendis, adhibeatur mo-
virtute. dus; & onera pro cuiusque imponantur
 » viribus. Nam si maiora erunt quàm vt
 ferri

ferri commodè queant, non excitabunt
 virtutem, sed oppriment. Itaque illi fracti
 animo, ac debilitati, imponendum onus
 detrectabunt, impositum abijcient. Et
 quoniam Rex Lusitaniæ pro sua munifi- *Regis Lusitani muni-*
 centia iussit omnia nobis necessaria ubi- *ficentia.*
 que suppeditari; eius potiùs quàm alte- *Libertas*
 rius cuiusvis liberalitate vtaris cen- *tuenda.*
 sco. Nam profectò qui alienas res accipit, li-
 bertatem amittit suam: quippe cum be-
 neficentia necessitatem imponat obse-
 quendi beneficio; emptaque beneficio
 libertas adeò seruiat, vt etiam si quid au-
 deat, eius verba longè minus habeant
 ponderis, quàm haberent si sui esset iuris.
 Adde huc, quòd si quid ab illo, qui de-
 dit, peccatum sit; liberè increpare haud-
 quaquam valeas. Quod enim os tantum
 est, vt sustineat allatrare pascentem?

CAPVT XIII.

*Præcepta Ioanni Brauio aliisque Sociis
 data.*

VBI mane è lectulo surrexeris, hanc
 tenebis regulã, vt minimũ per semi-
 horã aliquid è Christi vita mediteris; idq; *Meditandus*
 hoc ordine, vt initio ab ei⁹ ortu factò, de- *modus.*
 inceps cætera egregia eiusdem facinora,
 ad gloriosum vsque ascensum in cælum,